



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

Cap. I. Quid & quotuplex regula Religiosa sit, & quomodo à Constitutione
differat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)



TRACTATVS OCTAVVS
DE OBLIGATIONI-
BVS RELIGIOSORVM EX
REGVLA, PRAELATIONE ET SVB-
IECTIONE REGVLARI PRO-
VENIENTIBVS.

LIBER PRIMVS.

*De propriis obligationibus Religiosorum, quatenus sub propria regula viuunt, vel
specialibus iuribus subduntur.*



OST explicatam essen-
tiam & substantia vin-
cula status Religiosi, di-
cendum superest de ob-
ligationibus, quæ ad o-
mnes pertinent quate-
nus Religiosi sunt. Et
quoniam tractando de
votis, quibus Religiosi
efficiuntur, simul dixi-
mus de obligationibus
sunt ideo solum hic superest dicendum de Regula
& propriis statutis, seu constitutionibus Religio-
sorum, & obligationibus quæ ex eis nascuntur di-
rectæ, vel etiam indirectæ, seu consequtione qua-
dam ratione ipsius Religiosi status, vt in sequenti-
bus constabit. Hoc ergo primo libro dicemus de vi
ac potestate regulæ & constitutionis religiosæ, ac
obligationibus ex eis directè confurgentibus, et-
iam illis quæ iure canonico sunt imposita; postea
verò de indirectè confurgentibus ex statu ipso, seu
officio.

CAPVT I.

*Quid & quæ sit Regula Religiosa sit, & quomo-
do à Constitutione differat?*

VT obligationem directè prouenientem perso-
næ Religiosæ ex sua regula vel constitutione in-
telligamus; oportet vt quid ipsa Regula, quidve
Constitutio sit, & an discrimen inter se habeant,
exponamus. Regula (inquit Isidorus lib. 6. Etymolo-
giar. c. 16. & refertur cap. 2. d. 3.) dicta ex eo quod ducit,
nec aliquando aliorum trahit, & subiungit, Alii dixerunt
regulam dictam vel quid regat, vel quod normam rectè vi-
uendi præbeat, vel quod dissonantiam prauamque corrigas. Ali-
ter Iuriconsulti l. i. ff. de reg. iuris; Regula est (in-
quit) quædam, quæ est, breuiter enarrat: non vt ex regula
sua sumatur, sed ex iure quod est regula fiat. Vnde
constat vocem hanc æquiuocam esse, nam in-
terdum significat instrumentum artis ad dirigen-
das aliquas actiones inuentum, vt ex communi vsu
constat, & inde videtur deriuata ad significandum
Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

principium aliquod inuentum ad dirigendas ope-
rationes morales, & sic apud iuris peritos regula
frequentiùs appellatur breuis & compendiosa præ-
ceptio ex iure collecta, vt sit veluti norma aliquarum
actionum. Sic inscribuntur tituli de regulis iuris,
sic etiam dicitur in l. 9. ff. de iuris & facti ignorantia. Regula iuris est, ignorantiam intrinsecè facti, vero non,
& sic de aliis. Ex quo tandem in iure canonico re-
gula solet pro lege seu iure sumi: nam lex est, quæ
maximè dirigit operationes morales, & in hoc sen-
su videtur sumpta ab Isidoro citato loco, vbi etiam
ait regulam Latine idem esse quod canonem Græ-
cè: canones autem communi vsu iam vocamus ca-
nonicas leges. Nihilominus tamen nomen regulæ
etiam in hac significatione Ecclesiastica sumptum
non significat rigorosum præceptum obligans in
conscientia, sed simplicem ordinationem mores
hominum dirigentem: sicut regulæ artis appellan-
tur præceptiones in vnaquaque seruandæ, vt opus
artificiosè fiat. Hoc ergo modo quasi per antonom-
asiam applicata est illa vox ad significandum re-
gulam religiosam, quia strictiori & perfectiori mo-
do religiosorum actus dirigit, vt bene notauit Vm-
bertus in expositione regulæ Augustini c. 7. vnde ab
illa ipsi Religiosi regulares sunt appellati, quia ad
viuendum secundum regulam aliquam astringun-
tur, vt constat ex rubrica de regularibus; vbi Panor-
mit. & alij id notant. Sicut olim clerici in commu-
ni & religiosè viuentes à canone Canonici dicti
sunt. Postea verò Canonici Regulares sunt appella-
ti, quia nomen Canonici generalius est, vt optimè
notauit Nauar. comment. 1. de regularib. n. 2. & 3.
vbi optimè defendit geminatam illam vocem à ca-
lumnia Ludouici Viues, nam Canonici simpliciter
dicuntur clerici, qui sub aliqua communitate & re-
gula viuunt, quamuis religiosi non sint, sed pro-
prium habeant: Canonici autem regulares appel-
lantur, qui non vtrunque communiter viuunt, sed
alia insuper obligatione astringuntur. quod rectè
etiam notauit Couarr. in Clement. si quis ius. p. 1. in
princip. n. 1. vbi aduertit etiam Sanctimoniales Vir-
gines in hac significatione à Chrysostomo Canoni-
cas appellari, id est, regulares.

II.
Vltèrius autem, vt secundæ parti tituli satisfaciamus, aduertit potest interdum appellari regulam
quam-

ita seu col-
lectione mul-
tarum Regu-
larum spe-
cialium, qua-
druplex olim
sanctum mo-
do.

quamcunque singularem ordinationem seu legem, ita ut nomen regule commune sit, interdum vero esse hoc nomen collectivum, significans normam viuendi secundum perfectionem Evangelicam; quomodo vna regula continet in se plures regulas priori modo sumptas, & utroque modo est frequens usus huius vocis in presenti materia, praecipue tamen loquimur posteriori modo. Atque ita distingui solet ab auctoribus quadruplex regula religiosa specialiter ab Ecclesia approbata, scilicet Basilij, Augustini, Benedicti (de quibus sit mentio, & earum approbatio supponitur in c. pernici sam 18. q. 2. ex Concilio Rom. sub Innocentio II. c. 16. & 27.) & regula S. Francisci ab Honorio III. approbata, sub quibus regulis multae religiones viuunt, ut sub regula S. Benedicti militant ferè omnes ordines monachales, praeter Carthusianos, qui habent statuta pro regula, ut notat Sylu. verb. Religio 1. q. 7. Ut proprii Benedictini, qui in iure Monachi nigri appellantur, Cistercienses, Camaldulenses, & alij praeterea ferè omnes ordines militares Hispaniae. Sub regula S. Basilij dicuntur militare ferè omnes Orientis monachi, & idem dicit Antonin. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 8. de Carmelitis, sed de hoc postea n. 6. videbimus, nam illius ordinis auctores non facile hoc admittunt, sed suam regulam esse volunt ab omnibus praedictis diuersam, & ante Honorium etiam approbatam. Sub regula vero Augustini militantes omnes Canonici regulares, & Eremitae, qui Augustiniani, & Praedicatorum, & plures alij, qui, ut Anton. Sylu. & alij aiunt, licet in regula conueniant, constitutionibus inter se differunt.

III.
Dis. utitur
prae dicta
quatuor
bis diuisio
Regula.

Ut autem hoc explicemus, & cur ille tantum quatuor regule numerentur, & approbatae dicantur, quari potest quid inter regulam & constitutiones differat. Nam si regula singulariter sumatur, qualibet constitutio religiosa, regula est: si autem sumatur collectivè, regula vniuscuiusque religionis comprehendit omnes constitutiones eius, quia ex omnibus confurgit norma viuendi in illa religione: & quia non est maior ratio cur sub collectione regulae quaedam constitutiones potius quam aliae comprehendantur. Confirmatur & declaratur: quia quando religiosi promittunt obedientiam secundum regulam, necesse est ut sub regula constitutiones comprehendant, alias non tenerentur secundum illas obedire, nec ad maiorem vel strictiorem obedientiam obligarentur fratres Praedicatorum, v. g. quam Canonici regulares, quia omnes obligantur ad obediendum secundum eandem regulam, si per regulam sola Augustini regula intelligenda est: consequens est aperte falsum: ergo oportet ut in vnaquaque religione propriae constitutiones sub illius regula comprehendantur. Quod si hoc ita est, sine causa distinguitur tantum quatuor regule approbatae, sed tot distinguende sunt, quot sunt in Ecclesia religiones approbatae, quia nulla esse potest religio sine propria regula in eo sensu sumpta, alias non haberet in quo distingueretur ab alia, nec potest esse religio approbata, quin regula eius approbata sit, cum tota perfectio & substantia religionis (ut sic dicam) pendeat ex regula, seu ex ordine ad illam.

IV.
Enucleatur
tametsi di-
uisio.

In hoc potest solum esse quaestio de vocabulis, & ideo illa vel illorum usum distinguere oportet, & ita constabit an in re sit aliqua differentia. Non est ergo dubium quin loquendo de regula iuxta significationem explicatam ab Isidoro, & ad materiam praesentem applicatam, pro norma rectè & perfectè viuendi, omnes constitutiones religionis, quae in illa habent vim legis, sub regula comprehendantur, quia in illis omnibus consistit norma perfectè viuendi in tali religione, & hoc conuincit ratio facta. Videtur autem in aliquibus religionibus quali per antonomasiam vocari regula, quaedam specialis norma seu praecceptorum collectio a primo aliquo fundatore

religiosi status tradita, quae à ceteris sumpta est, quam fundamentum suae religionis seu modi viuendi, & huiusmodi fuerunt tres illae antiquiores regulae Basilij, Augustini, & Benedicti, quae si attente inspiciantur, adeò breues sunt, ut non contineant omnia, quae in communitate religiosa necessaria, vel vtilia esse possunt, sed tantum praecipua & substantiaalia, & praesertim regula Basilij, quam nunc ex eius operibus colligere possumus, vel ex regulis breuius, aut fustius disputatis, vel ex constitutionibus monasticis, vel ex epistola eius ad Gregorium Theologum, quae incipit, *ignouit litera de quas*, quae est de forma honestae vitae: ex his (inquam) locis solum colligitur generalia quaedam consilia ad viam perfectionis instituendam, non verò omnia quae ad plenam institutionem monasterij, vel totius Reip. religiose necessaria sunt, & idè ferè obseruari potest in aliis duabus. Unde ortu est, ut semper illis regulis addite sint aliquae constitutiones vel noua statuta, quae temporum necessitas ostendit esse necessaria. Item factu est, ut intra latitudinem status religiosi ad diuersos fines sit vnaquaque, ex illis regulis applicata, vel ad eundem sub diuersis caeremoniis, & obseruantis, iuxta diuersas vocationes, aut pios affectus, quos Deus fundatoribus, aut potius reformatoribus, vel moderatoribus aliquarum religionum inspirauit. Atque hoc modo dicuntur variae religiones sub vna vel altera illarum regularum militare: quia illam regulam quasi pro fundamento sumperunt, & proprias obseruantias addiderunt, de illis etiam proprias ordinationes faciendo, quas, ut ab illa primaria regula distingerent, constitutiones, vel statuta appellantur. D. autem Franciscus nullam illarum regularum pro fundamento suae religionis sumpsit, sed propriam confecit, eiusque peculiarem approbationem obtinuit, & ideo quarto loco inter approbatas nominatur, sub qua militant etiam variae religiones, vel potius familiae Minorum, praesertim tres, Obseruantiae, Coenualitatis, & Capucinatorum, quae sub distinctis Generalibus proprias etiam habent constitutiones seu statuta à propria regula S. Frac. distincta.

Ex his ergo satis constat, quomodo differat constitutio à regula in his religionibus ubi haec distincta sunt: non enim per se differunt ex obligatione, vel per quam inducunt, utraque enim esse potest vel ad culpam mortalem, aut venialem, vel ad solam penam, iuxta intentionem instituentium aut acceptantium talem regulam vel constitutiones, & secundum utramque debent Praelati vniuscuiusque religionis subditos gubernare, & potest eis imputare ex vobedientia, ut probatum est. Differentia vero solum videtur accidentaria in origine, & in hoc quod regula est quasi generalis & communis, constitutiones autem speciales & propriae. Aliqui existimant etiam differre aliquo modo in maiori perpetuitate proveniente, ex speciali Potestatis approbatione seu confirmatione: nam regula non potest sine Potestatis auctoritate mutari, quia est iure communi, vel à Pontifice specialiter confirmata: constitutiones autem sicut per religionem factae sunt, ita per eam mutari possunt. Ita D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 4. ex Ioanne Andr. in Nouellis. De qua differentia mihi satis non constat: & ideo consulenda censeo singula instituta, & quo sensu & modo vnaquaeque talis regulam sumperit, ac profiteatur: nam de tribus antiquioribus regulis non habemus ita expressam Pontificum, aut iuris communis approbationem. Nam Innocent. II. in dict. c. perniciosa obiter tantum illarum mentionem facit, & supponit potius antiquam approbationem, quae scripta non habetur, sed potius traditione & usu facta videtur, quamuis de regula S. Benedicti legitur specialis S. Greg. approbatio in haec verba, Ego Gregorius S. R. E. Praefatus in vna B. Ben. dicti, & legi regulam, quam ipse se natus manum propria scripsit.

Cap. II. Quam obligationem inducat regula religiosa, & quomodo ea obligatio cognoscatur.

scriptis, laudantiam & confirmant in sancta Synodo. ita refertur ad finem illius regule post commentarios Turcremata in quodam antiquo volumine, de cuius auctoritate mihi satis non constat. Deinde non constat illas regulas ita esse confirmatas à Pontificibus, ut non possint à religionibus, quæ illas profitentur communi consensu & auctoritate mutari. Loquimur autem de mutatione quoad aliquas particulares partes regule, nam mutare totam iam esset mutare religionem, & substantiam eius. quod religio facere non potest, alias destrueret seipsam. Hoc tamen modo etiam non potest talis religio auctoritate sua mutare omnes constitutiones simul sumptas, quibus quasi constituitur in esse talis religionis: quia hoc esset destruere suam specialem professionem: non videtur ergo esse in hoc magna differentia. Præsertim, quia etiã constitutiones approbatarum religionum solent esse à sede Apostolica confirmatæ, & nihilominus ab eadem sede habet religio potestatem ad mutationem aliquam faciendam: idem ergo potest contingere circa regulam. Consultandæ ergo sunt facultates Apostolicæ quas in hoc vnaquæque religio habet. Specialiter verò ex regula S. Benedicti, & S. Francisci, quædam sunt in iure canonico insertæ, ut patet ex cap. Cum ad monasterium. De statu monach. & ex cap. xiii. de verborum signif. in 6. & Clement. eximius. eod. tit. & in his verum esse opinor non posse fieri abrogationem seu derogationem, Summo Pontifice inconsulto.

quatuor regulas approbatas. Nam præterquã quod religio Carmelitarum suam propriam regulam approbatam habere contendit; Carthusienses, & Minimi, & Societas, & fortasse alij habent suas, quia nec esse possunt sine regula, ut dixi, nec potest religio esse approbata sine sua regula: hæ autem religiones approbatæ sunt, ut supponimus, & non profitentur suprà dictas regulas: ergo vnaquæque habet suam approbatam. Neque enim in illis prioribus quatuor maior, aut diuersa rationis approbatio cogitanda erit, nullo enim fundamento hoc dici potest, cum eadem auctoritate Pontificia, & eisdem verbis etiam hæ posteriores regulæ approbatæ, & confirmatæ sint: de quo videbimus plura in particulari infra tractando de approbatione Societatis. Non omittere etiam aduertere in 9. tomo operum D. Hieronymi haberi regulam monachorum ex scriptis D. Hieronymi à Lupo de Oliueto Generali eiusdem ordinis collectam, ibidemque refert literas Apostol. Martini V. quibus eam approbauit, ut monachi illius ordinis, qui prius secundum regulam B. Augustini profitebantur, sub propria regula D. Hieronymi huncupata deinceps profiterentur. Extat etiam regula S. Pachomij, quem ab Angelo dictante accepisse Hieronymus refert, & sub ea multos Egypti monachos vixisse.

CAPVT II.

Quam obligationem inducat regula religiosa, & quomodo cognoscatur quanta sit talis obligatio.

Supponimus hanc regulam habere aliquam vim, & rationem legis, ut constat ex usu & sensu omnium religionum, & patebit magis ex dicendis. Ad quod explicandum aduerto, statum religionis, ut sæpe dixi, dupliciter posse considerari, vel seclusa iurisdictione Ecclesiastica à Pontificibus collata Prelatis, vel toti communitati religiosæ, vel adiuncta huiusmodi iurisdictione. Et vtroque modo intelligi potest in eo esse regulam, immo in principio religionum videntur regulæ hoc modo institutæ, & prius potius per modum instructionis, & doctrinæ, quàm per modum legis, ut videre licet in multis ex constitutionibus seu regulis S. Basilij: postea per modum cuiusdam statuti conuentionalis, quod non est propriè lex, sed habet vim in mutua promissione & pacto: addita verò iurisdictione per Ecclesiã, confirmatur religiosa regula (sub qua semper constitutiones & statuta comprehendimus) ut habeat veram & propriam rationem legis. Est autem præterea aduertendum, nonnullas esse leges datas regularibus, vel omnibus, vel certis religionibus immediate ab ipsis Pontificibus summis, quarum aliquæ continentur in iure canonico sub titulis de Regularib. & de statu monach. de religiosis domibus & nonnulla sub titulis de voto, de sentent. excomm. & aliis; aliquæ verò sunt extra corpus iuris in Bullario seu collectione constitutionum Pontificalium, & aliis motibus propriis, qui extra illud opus continentur, de quibus legibus in hoc capite non agimus, tum quia non pertinent ad regulam, sed potius ad ius canonicum, quod interdum præcipit laicis, interdum clericis, interdum secularibus, interdum verò regularibus. Tum etiam, quia non est dubium quin illæ obligent in conscientia, modus autem & gradus obligationis ex verbis & materia sumendus est, atque etiam ex poena, præsertim quando habet censuram annexam: & quæ istam ipso iure imponunt, explicatæ à nobis sunt in tomo 5. de Censuris. Præter has ergo leges regula ipsa religiosa per Pontificem confirmatur, ut vim habeat legis non tantum conuentionalis, sed etiam iurisdictionalis (ut sic dicam)

Tertium cap. rollar.

I. Duplex modus condendi regulam cum iurisdictione, aut sine illa.

In iure canonico, atque etiam in vnaquaque religione approbata datur regula cum iurisdictione facta.

VI. Iustitiam Carolus.

Decretum. compendium. de regulis. de iurisdictione. de iurisdictione. de iurisdictione.

In iure canonico.

Regula. de iurisdictione. de iurisdictione. de iurisdictione.

VII.